



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 8. Ad confirmationis sacramentum chrisma diuinitus augetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

dicant ex animo : *O ignem Spiritalem, qui accensus es in meis precordijs ! & confidant, Deū adfuturum, atq; eos, per hunc ipsum baptismum Flaminis, saluaturū. Negligentes autem discant baptismum æstimare. Suffecisset Philemoni Deū tantopere amanti baptismus Flaminis : suffecisset tanto martyri baptismus sanguinis ; & tamen Christus baptismum Fluminis ei vnà impertijt, vt humanam socordiam corrigeret, quæ sæpe parum pensi habet, à qua obstetrice, filij, siue in Dei, siue in Diaboli nomine, baptizentur. Et tamen, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.*

§ VIII.

Ad Confirmationis sacramentum chrisma diuinitus augetur.

Woltan.
Wintou.
in vita. S.
Ethelov-
vvolodi
c. II. &
Sur. tom.
4. die 1.
August.

Hoc prouidentissimum diuinum iudicium, in alijs quoq; Sacramentis sæpe eluxit. Ex Woltano Wintouienſi monacho constat, clericum, cui à S. Ethelovvoldo Wintouienſi Episcopo sacri erat Chriftatis cura demandata, minùs aliquando olei, quàm res posceret, accepisse, atque illud ipsum, in itinere amisisse, mirabili Dei artificio, parum auferentis, vt multum redderet. Itaq; Episcopo pueros puellásque (neque enim in

viri-

virilem aut senilem ætatem tunc sacramen-
 tum istud differebant) confirmare volente,
 neque habente Clerico sacri olei ampullam,
 turbatio magna extitit. Anxius Clericus vi-
 am iisdem vestigijs, recalcat, recurritq; eò,
 vnde venerat. Dum, oculis huc, illuc, cu-
 riosè missis, rem perditam indagat, reperit
 ampullam in via iacentem, insigni auctu lo-
 cupletatam. Nam, quæ antè nec media sui
 parte plena fuerat, iam oleo sacro, vsque
 ad summum marginem referta, toti multi-
 tudini sufficiebat, ad petitum Confirmatio-
 nis Sacramentum suscipiendum. Igitur, qui
 mulieri Sarephtanæ, per Eliam, dixit: *Hy-* 3. Reg. 17.
dria farina non deficiet, nec lecythus olei minue- 14.
tur, ille etiam, ad spirituales usum, oleo
 addidit incrementum.

§. IX.

*Confirmationis sacramentum non esse
 negligendum.*

Is ergo inuocandus est, qui nouit elicere Deut. 32.
mel de petra, oleumq; de saxo durissimo; siue id 13.
 ad corporis sustentationem requiratur, siue
 ad animi salutem. Fatuis Virginibus simi- Matt. 25.
 les sunt, qui non ad Deum, sed ad homines 8.
 dicunt: *Date nobis de oleo vestro.* Quod fanè
 faciunt, quicumque non negligunt oleum,

I § quo